

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

PRINCIPIA
QUAE CODICIS IURIS CANONICI
RECOGNITIONEM DIRIGANT
A PONTIFICIA COMMISSIONE PROPOSITA
ET PRIMI GENERALIS COETUS «SYNODI EPISCOPORUM»
EXAMINI SUBIECTA


(*Sub secreto*)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXVII



Hic continentur: 1) Principia directiva quae pro recognitione Codicis Iuris Canonici a competenti Pontifica Commissione proposita sunt; 2) Relatio qua E.mus ac Rev.mus Dominus Cardinalis Pericles Felici, huius Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo Praeses, haec principia Synodo Episcoporum tanquam Relator proposituit ac illustravit; 3) Responsiones quas ipse E.mus ac Rev.mus Relator dedit ad animadversiones Patrum Synodalium circa proposita principia; 4) Exitus manifestationis sententiae Patrum Synodalium, cum recensione modorum propositorum.

Romae, die 6 novembris 1967.



PRINCIPIA QUAE CODICIS IURIS CANONICI RECOGNITIONEM DIRIGANT

Principia, quae pro Codicis Iuris Canonici recognitione in praesenti documento proponuntur, fructus sunt assidui studii et attentae considerationis cum Decretorum Concilii Vaticanii II tum generalium iuris principiorum, magni legum et iurisprudentiae thesauri, decursu saeculorum in Ecclesia constituti, ratione quoque habita spiritus iuris canonici et sollicitudinis oecumenicae, qua Ecclesia movetur.

Exinde fluunt subsidia quae ad horum principiorum enuntiationem adhibita sunt. Et primo quidem quae ex Scriptura Sacra promanant, dein quae a pervestigationibus in disciplinis iuridicis et in historia iuris canonici, post Codicis Iuris Canonici promulgationem valde auctis, fructuose nobis suppeditantur. Quibus notabili ratione accedunt, uti dictum est, tum spiritus a Concilio Vaticano II renovatus, qui leges et dispositiones Ecclesiae ab ipso datas novo vigore permeat, tum earumdem accommodatio nostri temporis necessitatibus.

Qua de re plurimum iuvarunt observationes a Consultoribus factae secundum mentem et directionem tum Em. morum Sodium Commissionis, tum Conferentiarum Episcopali, quae suo tempore interpellatae sunt. Consultores enim in usu redigendorum canonum ad prima eorum schemata praeparanda, frequentissime necessitatem experti sunt quorundam principiorum ut labores sui celerius atque securius ad finem ducerentur. Recte igitur concludi potest principia nunc enuntiata, in Commissionis labore hucusque peracto bonitatis confirmationem quodammodo obtinuisse.

PROOEMIUM

Agitur de recognoscendo Codice Iuris Canonici post conlsum Concilium Vaticanum II, in quo Ecclesia aggressa est et ad exitum perduxit ingens sane opus semetipsam renovandi. Cuius operis veluti complementum est recognitio Codicis Iuris Canonici.

Mutatis enim rerum conditionibus, ius canonicum, quod in Codice piano-benedictino ante annos quinquaginta clausum fuerat, indubie novis adiunctis accommodandum est atque huius temporis necessitatibus aptandum.

Duo sunt quae Beatissimus Pater Paulus VI,¹ indicavit huic operi necessaria: « scilicet (ius canonicum) accommodari debet novo mentis habitui, Concilii Oecumenici Vaticani secundi proprio, ex quo curae pastorali plurimum tribuitur, et novis necessitatibus populi Dei ». Scite Summus Pontifex animadvertisit opus recognitionis « adhibita prudentia » compleri oportere.

Ex quibus summa quaedam principia directiva Beatissimus Pater exprimere voluit. Nam Codex Iuris Canonici, ita Ipse, vi- gentem, tempore eius conditionis, disciplinam plerumque retinuit (can. 6).

Nunc tamen quaedam novanda esse videntur. Codex Iuris Canonici veluti ducis munere fungitur et Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum quasi lineamenta praebet operis novi.

DE INDOLE IURIDICA CODICIS

1. Quibusdam veluti cardinibus totum novum opus innitatur necesse est. Imprimis novus Codex indolem iuridicam omnino retineat oportet cum spiritu proprio. *Indolem* dicimus *iuridicam* quam postulat ipsa natura socialis Ecclesiae,² quae in potestate iurisdictionis, ab ipso Christo hierarchiae tributae, fundatur. Proinde vitandae vel potius secernendae sunt a Codice novo quaelibet conceptiones vel suggestiones nuper per diversa scripta sparsae secundum quas futurus Codex pro fine principali habere deberet solum regulam fidei et morum proponere. Christifidelis in canonibus ipsi propositis, invenire debet qua ratione in vita religiosa ipse se conducere oporteat, si particeps esse vult bonorum quae Ecclesia offert, ut salutem aeternam assequatur.

¹ Allocutio Pauli VI ad Em.mos Patres Cardinales et Consultores huius Pontificiae Commissionis, die 20 oct. 1965, in *A.A.S.* 57 (1965) p. 988.

² Cfr. Const. dogm. *De Ecclesia - Lumen gentium*, nn. 1 et 8, necnon Nota prævia explicativa, n. 2. Cfr. etiam Allocutio Pauli VI citata, p. 988.

Canonici quoque iuris obiectum praecipuum et essentiale est iura et obligationes uniuscuiusque hominis erga alios et erga societatem definire atque tueri, etsi eatenus fieri possit in Ecclesia quatenus ad Dei cultum et animarum salutem pertineant.

DE FORI EXTERNI ET INTERNI POSITIONE IN IURE CANONICO

2. Confirmare autem oportet et indolem iuridicam nostri Codicis in his quae forum externum respiciunt, et necessitatem fori interni prout in Ecclesia optimo iure per saecula viguit. Normae igitur in recognito Codice tradentur respicientes omnia quae ad forum externum attinent atque etiam, ubi animarum salus id exigat, normae quae pertinent ad provisiones in foro interno elargiendas.

Fori externi et interni optima coordinatio in Codicis Iuris Canonici existat oportet, ut quilibet conflictus inter utrumque vel dispareat vel ad minimum reducatur. Quod in iure sacramentali et in iure poenali peculiariter curandum est.

DE QUIBUSDAM MEDIIS FOVENDI CURAM PASTORALEM
IN CODICE

3. Natura sacra et organice exstructa communitatis ecclesiasticae manifestat indolem Ecclesiae iuridicam omnesque eius institutiones ad promovendam vitam supernaturalem ordinari. Quare iuridica ordinatio Ecclesiae, leges et pracepta, iura et officia quae exinde consequuntur, fini supernaturali congruere debent. Nam ius in mysterio Ecclesiae habet rationem veluti sacramenti seu signi vitae supernaturalis christifidelium, quam signat et promovet. Evidem non omnes normae iuridicae ad finem supernaturalem vel curam pastoralem fovendam directe proferuntur; eidem tamen fini supernaturali hominum obtinendo apte congruere necesse est. Quare, in legibus Codicis Iuris Canonici elucere debet spiritus caritatis, temperantiae, humanitatis ac moderationis, quae, totidem virtutes supernaturales, nostras leges distinguunt a quocumque iure humano seu profano.

In iure condendo Codex non tantum iustitiam sed etiam sapientem aequitatem colat, quae fructus est benignitatis et caritatis, ad quas virtutes exercendas Codex discretionem atque scientiam Pastorum et iudicum excitare satagit. Ne igitur normae canonicae officia imponant, ubi instructiones, exhortationes, suasiones aliaque subsidia, quibus communio inter fideles foveatur, ad finem Ecclesiae facilius obtainendum sufficientia appareant; neve leges irritantes actus iuridicos vel inhabilitantes personas facile Codex statuat, nisi earum obiectum magni momenti sit, et bono publico ac disciplinae ecclesiasticae vere necessarium.

Relinquatur Pastoribus ac animarum curatoribus congrua discretionis potestas, qua officia christifidelium statui ac conditionibus singulorum adaequari valeant; uti v. g. factum est in Const. Apost. *Paenitemini*.

Bonum praeterea totius Ecclesiae postulare videtur ut normae Codicis futuri nimis rigidae non sint. Etenim maior quedam libertas Ordinariis concessa, praesertim in determinatis adiunctis prout in missionibus, multum conferre aestimatur ut indoles pastoralis iuris canonici magnopere emergat.

DE INCORPORATIONE FACULTATUM SPECIALIUM
IN IPSO CODICE

4. Qua de re systema facultatum quae Ordinariis aliisque Superioribus usque modo concedi consueverunt, penitus recognoscendum esse videtur. Imprimis vitari oportet id quod in legibus hodiernis non adeo infreenter appetet: videlicet dispensationes a legibus generalibus Ecclesiae ab eo tantum pendere videri quod recursus fiat ad Sedem Apostolicam. Nam haec vel umquam dispensationem non concedit, vel facultates uberrimas praebere cogitur ad expeditiorem negotiorum ecclesiasticorum solutionem.

In Codice recognito definiendum est modo positivo officium Episcopi eiusdemque potestatis ambitus iuxta praescripta Decr. De Episcoporum pastorali munere in Ecclesia - *Christus Dominus*, n. 8, a); et causae recensendae sunt quae Supremae potestati aut alii auctoritati reservantur. Insuper, suis locis, deter-

minandae sunt dispensationes in legibus generalibus Ecclesiae, quae Supremae aut alii auctoritati reservantur, quales hodie v. g. in Litteris Apostolicis *De Episcoporum muneribus* recensentur.

DE APPLICANDO PRINCIPIO SUBSIDIARIETATIS
IN ECCLESIA

5. Quae modo dicta sunt ad applicationem *principii subsidiarietatis* in iure canonico indubitanter pertinent. Attamen longe distant a pleniore profundoreque applicatione principii ad legislationem ecclesiasticam. Principium confirmat unitatem legislativam quae in fundamentis et maioribus enunciationibus iuris cuiuslibet societatis completae et in suo genere compactae servari debet. Propugnat vero convenientiam vel necessitatem providendi utilitati praesertim institutionum singularium tum per iura particularia ab iisdem condita tum per sanam autonomiam regimnis potestatis exsecutivae illis recognitam.

« Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, quae ad exercitium eorum muneric pastoralis requiritur, firma semper in omnibus potestate quam vi muneric sui Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi » (Decr. De pastorali Episcoporum munere in Ecclesia - *Christus Dominus*, n. 8, a). Causae reservatae in novo Codice clare apparere debent. Convenit nempe ut potestas suprema, quae exercitium potestatis Episcoporum ultimatim regit, et certis limitibus intuitu utilitatis Ecclesiae et fidelium, circumscribere potest, in iis decernendis enucleate procedat. Videtur autem id fieri nequire, saltem convenienter pro hodiernis adiunctis, ad modum cuiusdam indicis. In Codice ipso opportune eae proponantur.

Systema iuris canonici, unum pro tota Ecclesia esse debet in summis principiis, quoad institutiones fundamentales, quoad mediorum Ecclesiae priorum ad finem suum obtinendum descriptionem, sive denique quoad technicam legislativam, quae omnia congruentius pro bono communi generali modo propo-nuntur.

Haec iuris canonici conformatio a Concilio Oecumenico in

conficiendis Decretis suis disciplinaribus apprime servata est. Per eam unitas legis ecclesiasticae egregie affirmata est, moderata tamen plurimis determinationibus competentiarum apud legislatores particulares.

Alienum autem videtur a mente et spiritu Concilii Vaticani II, salvis disciplinis Ecclesiarum Orientalium propriis, ut in Ecclesia occidentali Statuta peculiaria adsint, quae veluti formam praebant specificam legibus ecclesiarum nationalium. Attamen id significare non debet in legislationibus particularibus maiorem amplitudinem et autonomiam non desiderari, praesertim in iure a Conciliis nationalibus, regionalibus condendo, adeo ut aspectus peculiares ecclesiarum singularium non apparere non possint. Momentum harum peculiarium legislationum in novo Codice Iuris Canonici accuratius esset describendum praesertim in re administrativa temporali, cum regimen bonorum temporalium iuxta leges propriae nationis magna ex parte ordinari debeat.

Quod ius processuale spectat, gravia dubia orta sunt utrum decentralizatio (quae dicitur) in ea materia, amplior quam in hodierna disciplina, i. e. quae usque ad autonomiam tribunalium regionalium vel nationalium pertingat, admittenda sit necne. Etenim tribunalium ordinationem, eorum gradus, modum procedendi, media probationis in eis adhibita aliaque, in singulis nationibus aut regionibus a regulis proceduralibus locorum multum influxum habere posse neminem latet. Verum enim vero ob primum Romani Pontificis integrum est cuilibet fideli in toto orbe catholico causam suam in quovis iudicii gradu vel in quovis litis statu cognoscendam ad Sedem Apostolicam deferre. In comperto est ad iustitiae administrationem necessarium esse in diversis gradibus unitariam quamdam organizationem iustitiae servare; sine qua occasio vel ansa daretur incertitudini iudiciorum aut fraudibus aliisque incommodis bene multis aut illorum expeditioni ad Sedem Apostolicam. Putandum idcirco est ius processuale novi Codicis ampliorem atque generaliorem formam induere debere; singulis autem relinquatur auctoritatibus regionalibus facultas Regulas seu normas condendi, in suis tribunalibus servandas, quibus plura definiantur spectantia ad tribunalium constitutionem, ad officium iudicum et aliorum tribunali addictorum,

necnon de aptandis Codicis legibus indoli atque stylo earum quae singulis in locis vigent. Qua in re haud raro ius processuale civile exemplo esse posse indubitatum est.

DE TUTELA IURIUM PERSONARUM

6. Quaestio eaque gravis in futuro Codice solvenda proponitur, videlicet, qua ratione iura personarum definienda tuerandaque sint.

Sane potestas una est eaque residet in Superiore sive Supremo sive inferiore, nempe in Romano Pontifice et in Episcopis diocesanis, in respectivo ambitu completa. Quod unicuique, pro communitatis sibi assignatae servitio tota competit, unitatem firmat potestatis, eamque pro pastorali cura subditorum admodum conferre nemo dubitabit.

Verum tamen usus huius potestatis in Ecclesia arbitrarius esse non potest, idque iure naturali prohibente atque iure divino positivo et ipso iure ecclesiastico. Unicuique christifidelium iura agnoscenda ac tuenda sunt, et quae in lege naturali vel divina positiva continentur, et quae ex illis congruenter derivantur ob insitam socialem conditionem quam in Ecclesia acquirunt et possident.

Et quoniam non omnes eamdem functionem in Ecclesia habent, neque idem statutum omnibus conveniat, merito proponitur ut in futuro Codice ob radicalem aequalitatem quae inter omnes christifideles vigere debet, tum ob humanam dignitatem tum ob receptum baptismum, *statutum iuridicum* omnibus commune condatur, antequam iura et officia recenseantur quae ad diversas ecclesiasticas functiones pertinent.

DE ORDINANDA PROCEDURA AD TUENDA IURA SUBJECTIVA

7. Neque id sufficit ut tutela iurium in iure nostro convenienter vigeat. Agnoscenda enim sunt iura subjectiva vera et propria sine quibus ordinatio iuridica societatis vix concipitur. Proclamari idcirco oportet in iure canonico principium tutelae iuridicae aequo modo applicari superioribus et subditis, ita ut

quaelibet arbitriarietatis suspicio in administratione ecclesiastica penitus evanescat.

Haec finalitas, obtineri solummodo potest mediantibus recursibus sapienter a iure dispositis ut ius suum quod quis ab inferiore instantia laesum reputet, in superiore restaurari efficaciter possit.

Dum in Codice Iuris Canonici recursus et appellations iudiciale sufficienter regulatae secundum iustitiae exigentias reputantur, e contra communis opinio canonistarum censet recursus administrativos non parum deficere in ecclesiastica praxi et administratione iustitiae. Exinde necessitas ubique persentitur ordinandi in Ecclesia tribunalia administrativa secundum gradus et species, ita ut defensio iurium in eisdem habeat propriam et canoniam proceduram quae apud auctoritates diversi gradus apte evolvatur. Admisso hoc principio, potestatis ecclesiasticae clare distinguantur diversae functiones, videlicet legislativa, administrativa et iudicialis, atque apte definitur a quibusdam organis singulae functiones exerceantur.

Nostri Codicis pariter erit statuere quaenam in concreto actiones concedantur apud tribunalia administrativa experienda, processus administrativi regulas definire, necnon organa stabilia constituere, quae eosdem cognoscere valeant.

Facilius iustitiam administrativam ordinari quoad actus administrativos in comperto est; difficilior vero si recursus concedi debeant et applicari ipsi quoque normis gradus inferioris, si et in quantum superioribus contradicant.

In optatis est ut tamquam regula generalis habeatur quod quilibet processus sit publicus, nisi iudex propter rerum et personarum adiuncta aestimaverit, certis in casibus, secreto esse procedendum. Requiritur autem ut, in processu sive iudicali sive administrativo, recurrenti vel reo manifestentur omnes rationes quae contra ipsum invocantur.

DE ORDINATIONE TERRITORIALI IN ECCLESIA

8. Quaestio ponitur de opportunitate vel minus conservandi exercitium iurisdictionis ecclesiasticae cum stricta praevalentia

territorialitatis in ordinatione Ecclesiae. Ex documentis conciliaribus videtur deducendum principium: finem pastoralem dioecesos et bonum totius Ecclesiae catholicae claram et congruentem circumscriptionem territorialem exigere, ita ut, ex iure ordinario, uniuscuiusque dioecesis unitas organica in tuto ponatur quoad personas, officia, instituta ad instar corporis apte viventis. Videtur ex alia parte, ob exigentias moderni apostolatus, sive in ambitu alicuius nationis vel regionis sive intra ipsum territorium dioecesanum ampliori ratione sanciri posse et forsitan debere, saltem ex iure extraordinario in ipso Codice inscripto, unitates iurisdictionales ad peculiarem curam pastoralem destinatas, quarum exempla exstant plura in hodierna disciplina. Pro-pugnatur tandem futurum Codicem unitates iurisdictionales de quibus dictum est permittere posse non solum ex speciali apostolico indulto, sed etiam quae a competenti auctoritate territorii vel regionis constitutae fuerint secundum exigentias vel necessitates curae pastoralis Populi Dei.

Cum quaestio aspectus diversos reprezentet, haec principia iuxta doctrinam Concilii Vaticani II proponi posse videntur.

Ecclesiae particulares certocertius hodie definiri nequeunt partes territoriales in Ecclesia constitutae, sed, secundum praescriptum Decreti *Christus Dominus*, n. 11, singulae sunt « Populi Dei portio, quae Episcopo cum cooperatione presbyteri pascenda concreditur ... ». Cum tamen in determinanda Dei Populi portione, quae Ecclesiam particularem constituit, territorium quod christifideles inhabitant plerumque uti aptior haberi possit ratio, momentum servat territorium, non quidem uti elementum Ecclesiae particularis constitutivum, sed uti elementum determinativum portionis Populi Dei, quae haec Ecclesia definitur. Quare, tamquam regula haberi potest hanc portionem Populi Dei determinari territorio, sed nihil impedit quominus, ubi utilitas id suadeat, aliae rationes, uti fidelium ritus vel natio etc., insimul saltem cum territorio, tamquam criteria communitatis fidelium determinantia admitti possint.

DE RECOGNOSCENDO IURE POENALI

9. In recognitione iuris poenalis Ecclesiae, principium reducendi poenas in Codice stabilitas, nemo est qui non acceptet. Verum suppressionem omnium poenarum ecclesiasticarum, cum ius coactivum, cuiuslibet societatis perfectae proprium, ab Ecclesia abiudicari nequeat, nemo canonistarum admittere videtur.


Mens est ut poenae generatim sint ferendae sententiae et in solo foro externo irrogentur et remittantur. Quod ad poenas latae sententiae attinet, etsi a non paucis earum abolitio proposita sit, mens est ut illae ad paucos omnino casus reducantur, imo ad paucissima eaque gravissima delicta.

DE NOVA DISPOSITIONE SYSTEMATICA CODICIS IURIS CANONICI

10. Deductio in primum principiorum quae super enucleata sunt, structuram Codicis Iuris Canonici postulare videtur haud leviter novam. Inde sequitur eius ordinem esse innovandum. Fere ab initiis publicationis vigentis Codicis, eius ordo systematicus a praeclearioribus canonistis aestimatus est in aliquibus deficere, praesertim in dispositione librorum secundi et tertii. Nunc vero minus adhuc aptus appetet. Componendus igitur est sive ad mentem et spiritum Decretorum Sacri Concilii sive ad scientificas legislationis canonicae exigentias.

Verum cum nimis arduum videatur ordinem systematicum veluti a priori statuere (ut colligi etiam potest ex diversis contibus, ceteroquin vere laudabilibus, a variis auctoribus factis), sapientius esse ducitur ordinem redigere quando singularum partium recognitio, quae iam peragit, sufficienter progressa sit. Aliunde haec docet historia cuiuslibet operis novae codificationis.

**RELATIO EM.MI CARD. PERICLIS FELICI
CIRCA « PRINCIPIA QUAE CODICIS IURIS CANONICI
RECOGNITIONEM DIRIGANT »**



EM.MUS AC REV.MUS D. PERICLES S. R. E. CARD. FELICI
PRAESES PONT. COMM. CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO *

Patres Venerabiles,

Consilium principia quaedam redigendi, quae, post absolutum Concilium Oecumenicum Vaticanum II, recognitionem Codicis Iuris Canonici dirigerent, a Pontificia Commissione plurimis de causis susceptum fuit.

Cum prospiceretur futurus legum canoniarum progressus uti ipsius Concilii fructus, Beatissimus Pater Paulus VI eum dignatus est explanare sequentibus verbis: « Quem quidem progressum non alio spectare posse putamus, quam ut potissimum singuli Ecclesiae membris singulisque officiis auctori dignitas agnoscat et amplior tribuatur operandi facultas; deinde ut sacra potestas, ex qua universa catholicae societatis compago per varios hierarchiae gradus firma constat, magis magisque roboretur, et quidem quasi ex virtute intus suscepta: hoc est ex amoris, concordiae mutuaeque observantiae incremento ».¹

In sapientissimi his verbis summa continetur fructuum altissimorum quos Concilium Oecumenicum e nova Codicis Iuris Canonici recognitione sperare voluit.

* * *

Recensio cuiuslibet legum sylloges praesertim nova, ea exigit proponere principia quae legislatorem dirigant et ducant in eligendis mediis, instrumentis, criteriis aptioribus ut scopum

* Relatio lecta in Congregatione prima Synodi Episcoporum diei 30 septembris 1967.

¹ PAULUS VI, *Tempus iam advenit*, Allocutio ad Patres Conciliares die 4 dec. 1963 habita, in *Constitutiones, Decreta, Declarationes Concilii Oecumenici Vaticani II*, cura et studio Secretariae Generalis Concilii, Civitate Vaticana 1966, 932.

obtineat in ordinanda societate sibi praefixum. Alia in ipsa natura societatis inscribuntur, alia ab adjunctis determinantur quibus opus legislativum evolvi debet, ut fini a legislatore intento respondeat.

Quis auderet negare Codicem Iuris Canonici, qui ante annos quinquaginta conditus est, principia esse secutum quae Summus Legislator, S. Pius X, inde ab initio laborum eidem praestitit? Sane ea principia formam internam et externam praebuerunt legibus, quae spiritum ac mentem legislatoris veluti incarnare debebant.

Nunc vero Concilium Oecumenicum Vaticanum II in legibus Ecclesiae apparandis nova quaedam visum est eiusdem Concilii menti magis congrua desiderare, sive quoad formam redigendarum legum, sive praesertim quoad earum substantiam.

In suis enim Constitutionibus, Decretis ac Declarationibus tum Ecclesiae spiritum manifestorem reddere quaesivit, tum ordini ecclesiastico maiorem efficaciam tribuere ab interno influxu gratiae collustrantis vitam caritatis, quae est propria Ecclesiae, tum animum servitii, iuxta Evangelii doctrinam, apud omnes, sive Pastores sive Fideles, in dispositionibus iuridicis impense fovere.

Quare, ipsum Concilium in Decreto *Christus Dominus Mandatum Generale* dedit: « ut in recognoscendo Codice Iuris Canonici aptae definiantur leges, ad normam principiorum quae in hoc Decreto statuuntur, perpensis etiam animadversionibus quae vel a Commissionibus vel a Patribus Conciliaribus prolatae sunt ».² Evidem, Decretum praeclara statuit principia de pastorali Episcoporum munere in Ecclesia, quae Pontificalia Commissione observantissime custodire curat, quaeque magnas et momentosas partes Codicis Iuris Canonici respiciunt.

Verum in omnibus documentis conciliaribus principia quoque continentur ceteras partes legum Ecclesiae respicientia, quae diligenter colligere oportebat, ut universum opus recognitionis ad mentem Concilii Oecumenici secure procedere valeret. Quin

² CONCILII OECUMENICI VATICANI II, *Christus Dominus*, n. 44, in *Constitutiones ...*, 320.

etiam munus principiorum sive in scientia exstruenda sive in disciplina aedificanda tale est, ut rationem, indolem, spiritum operis perficiendi declaret, definiant atque alant.

Exinde patet momentum nostri argumenti, quod sapientiae et prudentiae huius venerabilis Consensus aestimandum submittitur.

* * *

In praesenti argumenti enucleatione principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant, in suis *summis* rationibus describuntur; quando id necessarium visum est ad particularia quoque descenditur, ad uberiorem plenioresque significationem eorum quae ex proposito principio sequi possunt aut debent.

Declarationes propositae, quae traducere quaerunt principia respondentia novae menti et habitui in Ecclesia a Concilio Oecumenico instauratis, in sua brevitate et perspicuitate complectuntur ea quae fundamentalem vultum Codicis retinendo, pleraque innovent. In eis habentur *nova et vetera*. *Vetera* sunt quae ex ipsa institutione divina Ecclesiae derivantur, et quae transcursu saeculorum firmata sunt in vita et praxi ecclesiastica ita ut veluti immutabilia iure praedicentur. *Nova* sunt quae desiderantur pro recta accommodatione legum Ecclesiae necessitatibus Populi Dei. Utraque procedunt ex eodem spiritu Evangelii Christi, qui est fons omnis et salutaris veritatis atque morum disciplinae.³ Igitur omnis lex ecclesiastica spiritum sequatur necesse est sancti Evangelii atque librorum Scripturae Sacrae, praesertim Novi Testamenti.

* * *

Indoles iuridica Codicis Iuris Canonici proprio suo vigore connotatur, quia natura socialis Ecclesiae « iuridicam formam exigit »⁴ quae, servitium boni spiritualis Populi Dei quaerens,

³ CONCILII TRIDENTINUM, *De canonicis Scripturis*, in Denzinger, n. 1501; CONCILII OECUMENICUM VATICANUM II, *Dei Verbum*, n. 7, in *Constitutiones* ..., 428.

⁴ CONCILII OECUMENICUM VATICANUM II, *Lumen Gentium*, Nota prævia explicativa, n. 2; in *Constitutiones* ..., 217.

in sua realitate organica, animata caritate, iuxta Christi voluntatem agat. « Non licet ignorare Ecclesiam — aiebat Paulus VI — ex Dei voluntate esse societatem visibilem omnibus cum institutis ad exteriorem moderationem pertinentibus ».⁵ Quo fit ut in iure canonico Ecclesiae constitutio iuridica emergere debeat, atque leges sive generales sive particulares promulgentur ex potestate iurisdictionis a Christo Domino Apostolis eorumque successoribus collata, de qua re Evangelium nos certiores reddit, et Paulus Apostolus, praesertim in prima Epistula ad Corinthios, hoc doctrinae caput aperte ac fuse explanat.

Caritas quoque, transcursu saeculorum, in interiore sinu curae animarum illam proceduram genuit, quae forum internum audit, ubi materna sollicitudo auctoritatis spiritualis exquisitiore modo manifestatur.

Totum ergo corpus legum in Ecclesia eo spiritu et mente animari et regi debet, quo salus animarum suprema sit lex, veluti primum ac supremum principium nostrarum legum constituenta.

* * *

Ad regimen et gubernationem Ecclesiae quod attinet, eius constitutio hierarchica, et in specie institutio divina Primatus et Episcopatus, postulat, tamquam principium ut ordines hierarchici ea ratione procedant, qua unitas et diversitas organorum ecclesiasticorum quin etiam pluralitas in Concilio sapienter enunciata, apto modo inter se componantur atque serventur.

Quae de re principium, sic dictum « subsidiarietatis » multus valere dicitur; quod plures in Synodo Oecumenica invocatum audivimus, utpote quod cuilibet societati iuvamen maximum pro bona gubernatione afferat. « Quo enim perfectius, aiebat Pius XI,⁶ servato hoc “subsidiarii” officii principio, hierarchicus inter diversas consociationes ordo viguerit, eo praestantiorum

⁵ PAULUS VI, *Singulari cum animi*, Allocutio ad E.mos Patres Cardinales et ad Consultores Pontifici Consilii Codicis Iuris Canonici die 20 nov. 1965 habita, in *A.A.S.* 57 (1965) p. 986.

⁶ PIUS XI, *Quadragesimo Anno*, Litt. Enc., in *A.A.S.* 23 (1931) p. 203.

fore socialem auctoritatem et efficientiam, eoque feliciorem laetoremque (rei publicae) statum ». Quod, teste Pio XII, valebat pro omni vita sociali in omnibus suis gradibus, et etiam pro vita Ecclesiae, sine praeiudicio suae hierarchicae structurae.⁷

De applicatione principii in legibus Ecclesiae, fundamentaliaora nunc proponuntur. In animo Pontificiae Commissionis est uberiora ac concretiora studia hac de re peragere, servatis iis quae modo inter principia recognitionis Codicis recensentur.

* * *

Quae Concilium Oecumenicum toties ac tanta gravitate protulit atque elatis verbis exaltavit de dignitate personae humanae deque eiusdem iuribus inviolabilibus ubique servandis, utpote quae in natura humana fundamentaliter sint radicata, eo magis in Ecclesia tenenda sunt, quod Christifideles per baptismum mysterio Christi inserantur et novam dignitatem atque personalitatem Christo concorporati adquirant.

Ideoque proponitur ut « in futuro Codice ob radicalem aequalitatem quae inter Christifideles vigere debet *statutum iuridicum* omnibus commune condatur ».

In eo iura atque correlativae obligationes modo explicito recensendas esse putamus, cum Ecclesia sit non solum spiritualis, sed et visibilis, organica, hierarchica, socialis et ordinata, quae lege scripta indiget, et organa postulat apta ad easdem promulgandas atque observantiam urgendam « non tanto per mero esercizio di autorità, ma proprio per la tutela della essenza e della libertà sia degli enti morali, sia delle persone fisiche che compongono la Chiesa stessa ». Haec nuperrime a Sanctitate Sua Paulo VI prolata sunt in commemoratione quinquagesimi anniversarii promulgationis Codicis Iuris Canonici.

Quare inter principia recognitionis eiusdem Codicis, ea proponuntur (n. 7) quae opportuniora atque iuri ecclesiastico magis congrua, experientia quoque rerum comprobata, visa sunt, ad tu-

⁷ PIUS XII, *La elevatezza*, Allocutio habita die 20 febr. 1946 adstantibus E.mis ac Rev.mis Patribus Cardinalibus recenter creatis, in *A.A.S.* 38 (1946) p. 145.

telam iurium quae personis sive moralibus sive physicis competentum tum iure naturae vel divino positivo, tum iure ecclesiastico solerter amanterque ab Ecclesiae auctoritate disposito.

* * *

Inter principia recensenda esse existimantur solutiones duarum quaestionum quae maioris momenti apparent pro exercitio iurisdictionis ecclesiasticae. Quarum prima organizationem ipsius iurisdictionis tangit, altera autem peculiarem modum eiusdem exercitii.

Ad primam quod attinet, propositum principium (n. 8) exigentiis moderni apostolatus satisfacere videtur ita ut integra maneant munera Episcoporum in Ecclesiis particularibus sibi concreditis atque insimul peculiaribus necessitatibus satisfieri valeat; quod hodierna cura pastoralis Populi Dei, non solum opportune et utiliter verum etiam quandoque instanter exigere videtur. In iis autem ordinandis multum defertur iudicio competentis auctoritatis in territorio vel regione constitutae.

Quae vero proponuntur pro iure poenali recognoscendo, evidentem inspirationem trahunt ex aureo Monito Concilii Tridentini, sess. XIII, de ref. cap. 1, in Codice Iuris Canonici, can. 2214 § 2 iterum memorato: de illa videlicet praeceptione Apostoli ab Episcopis servanda (cfr. Tim. 4, 2), « ut peccatores et delinquentes arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas ».

In poenis igitur statuendis legislator intendere curabit, ut quae reputet pro populi disciplina salutaria ac necessaria, ea sine asperitate decernat, et solum ob delicti gravitatem poena applicetur.


* * *

Haec, Patres Venerabiles, habebam quae Vobis dicerem ut vestro examini atque iudicio « Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant » proponerem.


Si quid Vobis videatur non satis clarum vel perficiendae rei non idoneum, dicatis aperte; nihil enim habet nostra Commissio antiquius quam ut postulationibus vestris, a Summo Pontifice approbatis, faciat satis.

Et noster labor, qui hucusque magna cum alacritate et fiducia peractus est, Episcoporum Synodi auctoritate, tranquilla securitate progredietur.

PERICLES Card. FELICI
Relator



**RESPONSIONES
EM.MI CARD. PERICLIS FELICI, RELATORIS
AD ANIMADVERSIONES CIRCA
«PRINCIPIA QUAE CODICIS IURIS CANONICI
RECOGNITIONEM DIRIGANT »**



I

INTERLOCUTORIA RESPONSIO

E.MI CARD. PERICLIS FELICI RELATORIS
AD ANIMADVERSIONES CIRCA
« PRINCIPIA QUAE CODICIS IURIS CANONICI
RECOGNITIONEM DIRIGANT » *

Mihi liceat dicere, haec omnia, quae hic audimus, summo cum gudio a me excipi: non solum quia praeses sum Commissionis, sed quia sum cultor iuris, ultimus forsan; et ideo disceptationes quoad ius mihi multum placent et multum inservient ad Codicem. Fateor: sincere placent omnia, quae audivi. Sed de his, postquam expleta erit discussio, in Relatione conclusiva, quae competit Relatori.

Quoad petitionem factam ab aliquo Vestrum, ut mittantur Episcopis illi 383 canones qui iam parati sunt, dicere debo canonem imprimis supponendos esse Commissioni Em. morum Patrum. Postquam haec schemata (sunt tantum schemata, sunt propositiones, sunt quasi canones in hypothesi, nam audienda erat Synodus Episcorum) postquam, inquam, illa schemata approbata sint a Commissione quae vere proprieque dicitur, tunc mittentur certissime ad Episcopos. Quomodo? Per Conferentias Episcopales? Per Sessiones Synodi? Statuet Summus Pontifex. Sed hoc certo fiet, nullum dubium habeatur. Nos habemus magnum « interesse », sinatis verbum, ut Episcopi antea audiantur, ita ut lex probetur, quae ab omnibus postea observari debeat, salva auctoritate, uti patet, Summi Pontificis.

Vos legistis in nostra Relatione, vel melius in nota informativa de labore a Commissione Pontifica Codici Iuris Canonici

* Responsio data viva voce, ac deinde ex taeniola magnetica exscripta, in Congregatione III Synodi Episcorum diei 3 octobris 1967.

recognoscendo hactenus peracto, adparari a Commissione aliquod schema *Legis fundamentalis Ecclesiae*.

Iam multa audivi in hac aula quoad aliquem *Codicem fundamentalem*, *Legem fundamentalem*, *Legem constitutionalem Ecclesiae*: verba et expressiones variae sunt, sed conceptus forsitan est idem.

Revera fateor: hoc schema multum exigit laborem ... multum ... multum. ... Iam plura schemata parata sunt et novum schema adparatur quod examinabitur a peculiari coetu, forsitan mense novembri proximo. Ideo audeo petere a Praeside Delegato de turno, ut Synodus de hac re audiatur.

Erit nobis validissimo adiumento, ut superemus difficultates quas reapse multas habemus, diversi generis.

Igitur audeo quaerere, semper annuente Summo Pontifice, ut peculiaris Commissio statuatur quae nobis dicat quomodo concipienda sit haec « Lex fundamentalis », quibus rationibus conficienda sit. Censeo quidem Commissionem synodalem constitutum iri a viris, qui hac in re sunt periti, suumque laborem durante hoc primo Synodi coetu esse completuram. Sed repeto, non agitur de re Synodo proposita: quaeritur sententia Patrum, occasione Synodi.

Commissio constare deberet, semper si Summus Pontifex annuat, Patribus tum Ecclesiae Latinae tum Ecclesiae Orientalis (permittatis has expressiones, quae etiam mihi non multum placent, sed tamen sunt in usu) ita ut habeamus mentem totius Ecclesiae circa hanc rem vere momentosam, et possimus procedere tranquille.

Hanc petitionem porrigo Praesidi Delegato de turno ut eam iudicio Summi Pontificis submittere velit.

II

RESPONSIONES

EM.MI CARD. PERICLIS FELICI RELATORIS
AD ANIMADVERSIONES CIRCA
« PRINCIPIA QUAE CODICIS IURIS CANONICI
RECOGNITIONEM DIRIGANT » *

Patres Venerabiles,

Gratias Vobis imprimis ago plurimas non tam ob laudes quam ob animadversiones et correctiones factas. Laus enim potest quidem animum addere sed etiam inflat. Animadversio et correctio urit atque secat sed medicamen erit. Audivi a Vobis placitum circa substantiam rei quae proposita est. Quod indicat lineas datas, saltem substantialiter, placuisse si non omnibus saltem pluribus ex his qui locuti sunt. Sed antequam ad singula deveniam opportunum duco animadvertere hoc documentum neque esse legem fundamentalem neque canones continere neque formulam fidei praebere. Continet tantum lineas directivas quae in itinere possunt etiam aliquo modo recognosci praesertim quando labor, iam peractus a Consultoribus, praesentabitur Commissioni Cardinalium. Hoc sensu, sub hoc angulo visuali velitis nostrum textum adspicere non sub alio.

Aliquae animadversiones factae, praesertim quoad doctrinam, saltem ut mihi videtur, respiciunt illum Codicem fundamentalem de quo loquebar heri. Porro circa hoc argumentum petii auxilium a Vobis. Auxilium petii, opem afferte. Censeo enim inter Patres esse eos qui iam nunc possint bona consilia de hac re praebere.

* Responsiones datae viva voce, ac deinde ex taeniola magnetica exscripta, in Congregatione IV Synodi Episcoporum diei 4 octobris 1967.

Nunc ad singula quae animadversa sunt, saltem potiora. Multae animadversiones sunt ad complementum, potius quam ad emendationem. Eas libenter accipimus; eo vel magis quod plura principia a Vobis exposita, ut ipse expertus sum, a nostris Consultoribus utiliter iam nunc adoptantur. Dictum est:

1) Opus Commissionis non sit *mera* revisio sed potius profunda recognitio Codicis. Derelinquat proinde aspectum mere iuridicum Codicum civilium, et assumat alium in quo principia supernaturalia institutionum exponantur.

Sinatis, Patres Venerabiles, ut ad hanc animadversionem, quae mihi valde placet, respondeam verbis quibus usus sum in commemoratione quinquagesimi anniversarii Codicis Iuris Canonici coram Summo Pontifice: « Si è avvertita ... la necessità di una nuova Codificazione. Questa non può tuttavia limitarsi ad una pura e semplice revisione delle norme ora in vigore, ma deve soddisfare in pieno al nuovo spirito e muoversi verso i nuovi orizzonti, aperti largamente dalla grande Assise Ecumenica, che, se è stata conclusa circa un anno e mezzo fa, ha appena iniziato, sia lecito dirlo, il lungo e grande cammino di penetrazione della via della Chiesa ». Et addebam: « La legge della comunità ecclesiastica è espressione di giustizia, ma anche di carità, la virtù che tutte le altre rende perfette. Proprio per questo essa — la legge — contribuirà non solo a salvaguardare gli inderogabili diritti della persona umana dei figli di Dio ed il retto ordine della società ecclesiale, ma a creare altresì tra i fedeli e, per riflesso, tra tutti gli uomini il vincolo che di tutti farà una cosa sola in Cristo, nella *tranquillitas ordinis* che è propria della pace ».

Hoc quidem spiritu nos laborabimus.

2) Interveniat proinde theologia in redactione canonum ut indoles iuridica non avulsa appareat a radicibus theologicis.

Dico Vobis, Patres Venerabiles, multos theologos inter nos haberi. Quandoque in Commissionibus plures sunt theologi quam canonistae. Quinimmo in conficiendo schemate Legis fundamentalis, multum adlaboraverunt theologi, ex diversis nationibus.

3) Curandum autem est ut leges clarae sint, et exhortationes vel suasiones non nimis abundant.

Revera diversa audivimus circa hoc. Aliqui institerunt ut Codex uteretur exhortationibus. Alii dixerunt Codicem solum leges proferre debere. Censeo media via esse incedendum. Quia Codex noster non est codex societatis civilis sed Codex Ecclesiae, qui suam propriam indolem habet.

4) Ne praecepta iuridica et moralia permisceantur, sed in sua indole iuridica Codex bene distinguat quomodo agendum sit in foro externo et quomodo in foro interno, ita ut conflictus ad maximum eliminentur.

Propter hanc rationem, nos; proximo mense maio, studia instituemus circa rationes inter forum internum et forum externum. Et multum, ni fallor, cum vestris animadversionibus iuvabunt conclusiones horum studiorum.

5) Pro indole pastorali fovenda requiratur auxilium peritorum in re pastorali et sociologica, et extendatur haec collaboratio ad omne genus christifidelium, sive clerici sint, sive religiosi et religiosae, sive laici. Munus laicorum in activitate ecclesiastica bene definiatur ac foveatur.

Sunt duae postulationes diversae. Altera respicit collaboracionem. Altera institutiones iuridicas quoad laicos. Sed de utraque re curabimus vel potius quoad primam, postulabimus a Summo Pontifice ut collaboratio extendatur. Quoad alteram, ut iam dictum est in nostro documento, de laicis eorumque actuositate maximam curam habebimus.

6) Indoles iuridica Codicis derivetur ab indole Populi Dei, pro qua Christus Dominus iurisdictionem Ecclesiae suae contulit.

Animadversio haec respicit doctrinam. Vos certiores facio, nos maxime fideles esse futuros doctrinae Concilii. Quoad illa verba quae crisi subiecta sunt ab aliquo Vestrum, in prima paragrapho

quae agit de indole iuridica Codicis, ubi dicitur: « Imprimis novus Codex indolem iuridicam omnino retineat oportet cum spiritu proprio. Indolem dicimus iuridicam quam postulat ipsa natura socialis Ecclesiae, quae in potestate iurisdictionis, ab ipso Christo hierarchiae tributae, fundatur »: fatendum est circuitum verborum non esse perfectum. Sed sensus erat hic: ut illud pronomen « *quae* in potestate » referretur non tam ad naturam socialem sed ad *indolem iuridicam*: quod patet etiam ex interpunctione. Porro haec doctrina ad verbum sumpta est ex Allocutione quam habuit Summus Pontifex Paulus VI Pontificiae nostrae Commissioni. Ergo in hunc sensum verba sunt interpretanda.

7) Applicatio autem principii subsidiarietatis fiat in omni gradu regiminis Populi Dei, unde appareat quomodo « in communione » omnia perficiantur.

Non ergo limitetur sed extendatur ita ut valeat pro relationibus inter auctoritates et laicos. Urgendum autem est quoad ius religiosorum.

Etiam circa hoc, quod proprie ad doctrinam pertinet, nos maxime fideles spiritui Concilio futuri erimus. Quomodo extendendum est hoc principium? Quibus limitibus? Videbitur, in decursu laboris. Non possumus ab initio dicere. Prae oculis habenda est doctrina Concilii. Non possumus illam extendere pro arbitrio. Immo oportet caute agere, ut spiritus Concilii revera servetur.

8) Optandum est ut novus Codex sit simplicior et ea contineat quae generaliora sunt, et locum det legislationibus particularibus. Ordo systematicus regatur secundum munera pastorum, sanctificandi, docendi, regendi Populum Dei.

Sumus plene concordes in hoc, quod sat clare in principiis expositis continetur.

9) Sunt qui poenas reducere volunt ad paucas omnino, ita ut poenae latae sententiae omnes aboleantur et ius poenale ad mi-

nimum redigatur. Alii tamen eas cum debita sobrietate retinendas esse putant; et ibi tantum comminentur ubi et quatenus facinus perpetratum afficit communitatem.

Principium a nobis expositum, ni fallor, substantialiter cohaeret cum hac postulatione. Sunt aliqui, sed pauci, qui volunt penitus abolere poenas latae sententiae. Alii aliter sentiunt. Stemus proinde ad principium propositum, quod pluribus placuit.

10) Quoad facultates Episcopis concedendas, ampliores desiderantur tum pro missionibus, tum pro regionibus Americae Latinae, tum pro illis regionibus quae in statu perpetuae emergentiae constitutae sunt. Imo concedantur facultates a Conferentiis Episcopalibus regendae.

In hoc sequemur ea quae nobis indicabit Summus Pontifex, cui hoc votum manifestabitur.

11) Quamvis optimum sit et necessarium iura singulorum tueri et protegere, tamen debitum aequilibrium cum auctoritate Superiorum servetur.

Optime. Hoc pertinet ad principia quae dicta sunt.

12) Recursus ergo administrativi bene ordinentur, quin tamen auctoritas Superiorum pessumdetur, et gradus aptiore modo ordinentur v. g. per tramitem Conferentiarum Episcopalium.

Hoc potest fieri. Nulla difficultas. Videbitur.

13) Ius processuale, praesertim in causis matrimonialibus, attendat exigentiis humanitatis tum causarum brevitati consulendo, tum in maiore aequitate servanda. Conceptus rigidiores v. g. quoad notionem consummationis matrimonii ad maiorem aequitatem reducantur. Instantiae autem apud auctoritates regionales frequentiores sint, eis concedendo iudicium circa causas speciales v. g. pro applicatione privilegii fidei.

Audiendus est Summus Pontifex circa ea quae respiciunt eius potestatem vicariam. Quoad caetera, postulatio acceptari potest.

14) Animadversum est ius non posse sacramentum dici.

Hodie audivimus responsonem.¹ Ipse non vocarem ius, sacramentum. Sed cum hodie vox « Sacramentum » multiplicis sit significationis, cum data explicatione potest aliquatenus sustineri.

15) Commendatur ut secretum de laboribus Codicis tollatur.

Secretum utique, sed non reservatio prudens, quae labori peragendo proculdubio prodest.

16) Commendatur ut Lex fundamentalis condatur.

Iam dixi meam mentem de hoc. Multum adlaboravit nostra Commissio et multum laborat. Sed difficultates multae sunt. Si potestis nos adiuvare, adiuvate nos.

17) In quaestione de uno vel duobus Codicibus condendis (Latino et Orientali) sententiae dispare sunt.

Quapropter, cum quaestio nunc solvi nequeat, quae a multis annis agitatur, nostra Commissio, ut explicavit Secretarius specialis, in paranda principia incumbit, quae aeque Orientalibus inservire valeant.

¹ Unus enim Pater dixerat: « *Structura externa Ecclesiae structuram internam visibiliter manifestat. Ipsa scilicet tota activitas externa Ecclesiae, a vita interna Ecclesiae procedit et ad hanc vitam internam, scilicet vitam Spiritus, conferendam et augendam ordinatur. Non potest satis efferri structuram internam et externam non se habere ad invicem sicuti res ad rem se habet. Potius simul sumptae, et quidem utrumque elementum tamquam essentialiter constitutivum, unitatem vitae Ecclesiae efformant, ita ut structura externa sit ad modum signi sacramentalis, quo vita interna Ecclesiae significatur et creatur. Hac ratione tota Ecclesiae activitas iuridica est ad modum signi sacramenti salutis, quod est Ecclesia, quin hoc signum ad activitatem iuridicam restringatur. Sub hoc aspectu activitas iuridica Ecclesiae non potest habere alium finem nisi manifestare et inservire vitae Spiritus, scilicet vitae divinae fide- lium, praesertim caritati ».*

18) Commendatur ut fiat aliqua Codificatio Iuris Publici Ecclesiastici, tuta et solidior.


Videbitur.

Quaesitum denique est quare non ante condatur Lex fundamentalis, quam Codex legum paretur.

Cum Lex fundamentalis sit veluti synthesis summorum principiorum, clare exponi ea nequit, nisi prius singula instituta bene perspecta habeantur. Ergo unus et alter labor simul peragetur: alter alterum iuvabit.

His omnibus dictis, spem fovere licet futurum Codicem quam primum editum iri, ut firmae leges habeantur. Nam ubi desunt firmae leges, deest auctoritas. Et si deest auctoritas, non habetur societas, sed congregatio hominum, in nullum certum finem.

PERICLES Card. FELICI
Relator



**EXITUS MANIFESTATIONIS SENTENTIAE
CUM RECENSIONE MODORUM PROPOSITORUM**

1000 1000 1000 1000 1000 1000 1000 1000 1000 1000

MANIFESTATIO SENTENTIAE

A PATRIBUS SYNODALIBUS QUAESITUM EST

Utrum placeat ut Codex novus Iuris Canonici redigatur iuxta principia proposita a Pontificia Commissione Codici Iuris Canonici recognoscendo, habita ratione discussionis in hoc generali Synodi coetu factae.

Suffragatio fit per:

PLACET

NON PLACET

PLACET IUXTA MODUM

Manifestatio sententiae fieri potest vel super integrum documentum vel super singulas eius partes.

Partes hae sunt:

- I. Prooemium et de indole iuridica Codicis.
- II. De fori externi et interni positione in iure canonico.
- III. De quibusdam mediis fovendi curam pastoralem in Codice.
- IV. De incorporatione facultatum specialium in ipso Codice.
- V. De applicando principio subsidiarietatis in Ecclesia.
- VI. De tutela iurium personarum.
- VII. De ordinanda procedura ad tuenda iura subiectiva.
- VIII. De ordinatione territoriali in Ecclesia.
- IX. De recognoscendo iure poenali.
- X. De nova dispositione systematica Codicis Iuris Canonici.

Qui *iuxta modum* manifestant suam sententiam, in separatis foliis singulos modos scribant.

EXITUS MANIFESTATIONIS SENTENTIAE

Praesentes votantes: 187

Duae tertiae partes: 124

	placet	placet i. m.	non placet
Ad Prooemium et Num. I:	127	60	
Ad Num. II:	159	28	
Ad Num. III:	136	51	
Ad Num. IV:	139	46	2
Ad Num. V:	128	58	1
Ad Num. VI:	150	37	
Ad Num. VII:	148	39	
Ad Num. VIII:	162	24	1
Ad Num. IX:	148	39	
Ad Num. X:	134	52	1

Nota: 1. In examine suffragiorum modi separati sunt a suggestionibus, quae principia qua talia non tangunt.

2. Multi ex modis res denuo recolunt quarum mentionem fecerat Em.mus Card. Relator in sua Relatione et Responsione in aula. Nobis autem visum est PP. qui hos modos proposuere ideo hoc fecisse ut vel novum aspectum illustrarent, vel simpliciter urgerent momentum quod, eorum opinione, res habent.

RECENSIO

MODORUM PROPOSITORUM CIRCA « PRINCPIA
QUAE CODICIS IURIS CANONICI RECOGNITIONEM DIRIGANT »

Introductio generalis. Munus nobis commissum est recensere modos a Synodo propositos, prae oculis habendo responsiones Eminentissimi Cardinalis Relatoris¹ ad animadversiones circa « Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant ».

Ordo dicendi quem sequimur hic est:

1. Praesentes votantes fuerunt 187.
2. Recensio omnium votorum: Placet, non placet, placet i. m., tum pro integro documento tum pro singulis eius partibus.

Pro integro documento: Placet fuerunt 57
Non placet, nullum
Placet iuxta modum 130.

3. Generatim modi afficiunt numeros singulos. Exinde sequitur plures numeros habere suffragia *placet*, non tantum 57, sed etiam plura alia, prout infra determinabitur.

4. Ad singulos numeros documenti recensemus modos propositos et unicuique adiicitur quot Patres synodales et Conferentiae Episcopales ipsis, saltem substantialiter, adhaereant.

5. In fine colliguntur quaedam suggestiones a PP. Syno-

¹ Multi ex modis res denuo recolunt quarum mentionem fecerat E. mus Card. Relator in sua Relatione et Responsione in aula. Nobis autem visum est PP. qui hos modos proposuere ideo hoc fecisse, ut vel novum aspectum illustrarent, vel simpliciter urgerent momentum quod, eorum opinione, res habent.

Omnis ergo modos, sive separatim sive cum alio substantialiter eodem conflatum, hic reportabimus.

dalibus factae, quae, etsi principia directe non spectent, prae oculis possent, in opere Codicis condendo, haberi.

AD PROOEMIUM ET NUMERUM I:²

De indole iuridica Codicis

Placet 127, Non placet nullum, Placet i. m. 60.

Modi propositi exprimunt sequentes ideas generales:

— Ne fiat revisio canonum actualium sed condatur novus Codex, secundum mentis habitum Concilii Vaticani II. PP. 10 (CE 6).

— Proponitur novus textus pro N. 1. PP. 5 (CE 3).

— In Codice sit Lex Fundamentalis seu Constitutio iuridica Ecclesiae Universalis, cetera relinquantur Conferentiis Episcopibus PP. 21 (CE 13), secundum normas in Codice statuendas. PP. 7 (CE 5).

— Leges particulares recognoscantur et confirmentur a Sancta Sede. P. 1.

— Codex contineat tantum leges universales et vere iuridicas; non leges morales neque dispositiones pastorales PP. 7 (CE 4); nec mere liturgicas PP. 5 (CE 3); nec canones mere hortatorios P. 1.

— Indoles iuridica ducatur ex notione populi Dei ut est societas hierarchice in communione constituta et charactere sacramentali insignita. PP. 28 (CE 9).

— Indole iuridica retenta, in Codice praefulgeat spiritus evangelicae caritatis. PP. 17 (CE 10).

— In determinatione iuris divini, naturalis et positivi, prudenter procedatur ne plus affirmetur quam necesse sit, PP. 6 (CE 4).

² Animadvertisendum est plures Patres sub eodem numero diversos modos una simul scripsisse; ideoque eorum suffragium *placet iuxta modum* omnes illos comprehendere. In recensione modorum pleraque tribuenda sunt eidem Patri *placet iuxta modum* suffraganti.

— Ius canonicum vitam socialem fidelium regat, non vitam religiosam individualem. P. 1 (CE 1).

— Ratio habeatur aspectus charismati in vita sociali Ecclesiae. P. 1 (CE 1).

— In initio uniuscuiusque sectionis Codicis exponantur rationes theologicae. PP. 8 (CE 5).

— Forma sit consona Theologiae actuali. PP. 6 (CE 4).

— Leges ne definitive statuantur circa ea quae in experientia sunt. PP. 8.

AD NUM. II:

De fori externi et interni positione in iure canonico

Placet 159, Non placet, nullum, Placet i. m. 28.

Modi:

— Praecaveatur ne conflictus sit inter statum conscientiae coram Deo et statum iuridicum in Ecclesia. PP. 7 (CE 4).

— Consulantur organa Ecclesiae quae experientiam habent co-ordinandi utrumque forum. P. 1.

— Iurisdictio fori interni non amplius sit territorialis sed muneri sacerdotali connexa. PP. 9.

— Separatio utriusque fori in vita religiosarum mulierum melius curanda erit. PP. 9.

— Ne sint pracepta sub peccato, graviter onerata conscientia, ex informata conscientia, etc. PP. 10 (CE 4).

— Peccata reservata omnino abroganda. PP. 6.

— Deleantur verba « Confirmare ... viguit ». PP. 5 (CE 3).

AD NUM. III:

De quibusdam mediis fovendi curam pastoralem in Codice

Placet 136, Non placet, nullum, Placet i. m. 51.

Modi:

— Hic Num. sit primus in documento. PP. 2 (CE 1).

— Titulus eius sit « De scopo pastorali Codicis ». PP. 5 (CE 3).

— Immo Spiritus Pastoralis sit ratio suprema Codicis et ab eo sit Codex imbutus necnon spiritu Evangelii et beatitudinum. PP. 13 (CE 8).

— Initio uniuscuiusque partis Codicis exponantur sensus, indoles evangelica, natura theologica et finis legis in oeconomia salutis. PP. 9.

— Iidem volunt ut ius praeter paecepta etiam exhortationes et suasiones contineat.

— Alii vero PP. 7 non sic. Tres, qui repreasentant tres Conferentias Episcopales, rogan ut Canones non includant consilia: quattuor (CE 1) dicunt « Malumus habere leges proprie dictas, non Directorium Pastorale in Codice ».

Facultas edendi normas morales et pastorales relinquatur Ordinariis loci cum magna libertate in applicatione legis. PP. 3 (CE 2).

— Ne dicatur de libertate Ordinarii « concessa » sed potius « agnita ». P. 1.

— At unus Pater (CE 1) rogar ut « non multa relinquantur Episcopis et Conferentiis », et indicat quaenam.

— Privilegia omnia aboleantur, PP. 8 (CE) vel ad minimum reducantur. P. 1 (CE 1).

— Idem dic de legibus invalidantibus et incapacitantibus. PP. 6 (CE 2).

— Praesertim in iure religiosorum. PP. 8.

— Verbum « Sacramentum » ne praedicetur de iure canonico. PP. 7 (CE 7).

— Immo deleantur verba in Argumento n. 3, p. 9 « Ius in mysterio Ecclesiae habet rationem veluti sacramenti ... totidem virtutes supernaturales » tamquam contraria modestiae et humilitati quae decent Ecclesiam. P. 1 (CE 1).

— Sed 9 PP. volunt « Ut omnino extollatur natura Iuris ut pars integrans aspectus sacramentalis Ecclesiae ».

— Codex pro circumstantiis extraordinariis provideat utputa: status persecutionis, belli, defectus communicationis cum S. Sede, etc. PP. 7 (CE 3).

— Inter Pastores et animarum Curatores adnumerentur Superiores Institutorum perfectionis. PP. 8.

— Inter Ordinarios sunt recensendi saltem omnes Superiores Institutorum Clericalium perfectionis, PP. 6; vel Maiores tantum. PP. 2.

— Agnoscat id quod bonum est in variis legislationibus civilibus. P. 1 (CE 1).

— Proponitur nova compositio paragraphi primae huius n. III. PP. 5 (CE 3).

— Leges sint breves. P. 1.

AD NUM. IV:

De incorporatione facultatum specialium in Codice

Placet 139, Non placet 2, Placet i. m. 46.

Cum quaestio de facultatibus Episcoporum aliquatenus tangat principium subsidiarietatis de quo num. V, plures modi indistinctim respiciunt sive num. IV sive num. V. Sex Patres proponunt novam dispositionem utriusque numeri, ita ut in uno sint enuntiationes generales, in altero casus particulares applicationes illius principii. Hic recensemus ea quae spectant ad facultates Episcoporum et aliorum Ordinariorum.

Modi:

— Agnoscat in Codice potestas ordinaria quae Episcopis competit vi muneric sui, iuxta decretum « Christus Dominus », num. 8; ideoque non agendum est de facultatibus concessis sed de causis Summo Pontifici reservatis. PP. 27 (CE 20). Et exse- cutioni mandetur integra potestas quae ex collegialitate episco- pali promanat. PP. 19 (CE 13).

— Ampliores sint facultates Episcoporum ita ut recursus eorum ad Sanctam Sedem sint rarissimi. PP. 4 (CE 4). Recursus minuantur etiam quoad Superiores Maiores. PP. 9.

— Facultates speciales Superiorum Maiorum, ampliatae, in ipsum Codicem incorporentur, PP. 9; etiam facultates Superioris- sarum mulierum. PP. 8.

— Privilegia ea tantum relinquantur quae vere necessaria vel utilia dijudicentur. Dentur normae pro exercenda facultate dispensandi. PP. 2 (CE 1).

— Privilegia personarum moralium, speciatim Institutorum Religiosorum recognoscantur, et in ipso Codice omnibus communia reddantur. PP. 4 (CE 1).

AD NUM. V:

De applicando principio subsidiarietatis in Ecclesia

Placet 128, Non placet 1, Placet i. m. 58.

Modi:

— Definiantur requisita ad rectam applicationem Principii subsidiarietatis. PP. 8 (CE 1).

— Principium subsidiarietatis extendatur ad omnes gradus vitae socialis Ecclesiae, etiam ad laicos. PP. 17 (CE 11). Unus Pater (CE 1) putat principium de extendenda subsidiarietate ad omnes gradus populi Dei falsum esse et periculosum.

De potestate legislativa

— Potestas legislativa detur Conferentiis Episcopalibus, quam exerceant secundum Ius fundamentale et secundum normas directivas in ipso Codice communi statuendas. PP. 15 (CE 9). Etiam in Ecclesia latina Ius Canonicum in principiis tantum unum sit. P. 1 (CE 1).

— Unus Pater (CE 1) opinatur non multa relinquenda esse decisioni Episcoporum et Conferentiarum. Duo Patres (CE 2) monent ut aequilibrium servetur inter autonomiam Ecclesiarum localium et unitatem Ecclesiae universalis Primate Summi Pontificis innixam; ita ut excludatur periculum ecclesiarum nationalium.

— Quaestio innuitur utrum veri patriarchatus in Ecclesia Occidentali sint providendi. PP. 7.

Ius processuale

— Ampliori competentia polleant Episcopi quoad Proces-
sus; nulla reservatio causarum nisi in casibus stricte necessariis,

salvo iure appellationis ad R. Pontificem. PP. 10 (CE 6). Agnoscatur in hac re potestas Episcoporum collegialis. PP. 6 (CE 4).

— Liceat Episcopis instituere causas matrimoniales « super rato et non consummato » sine necessitate expostulandi facultatem. P. 1 (CE 1).

— Decentralisatio seu autonomia tribunalium regionalium vel nationalium amplior quam in hodierna disciplina non placet. PP. 6 (CE 2). Concedatur maior autonomia auctoritati territoriali in administratione bonorum. PP. 2 (CE 1).

— Liceat, ubi et quando necesse sit, constituere unicum tribunal primae instantiae pro omnibus dioecesibus eiusdem provinciae et similiter unicum tribunal secundae instantiae pro omnibus provinciis eiusdem regionis. PP. 4 (CE 1). At constitutio tribunalis regionalis ne fiat obligatoria pro unaquaque regione. P. 1.

— In ambitu Conferentiae Episcopalis adsit sistema trium instantiarum. PP. 5 (CE 3).

— Quattuor Patres unius Conferentiae expostulant ut leges processuales simpliciores fiant. Superiores Generales 8 optant ut technica legislativa communis retineatur, quo recursus cito et expedite fieri possint. Desiderant facilem instantiam apud Curiam Romanam. PP. 9.

— Tandem, iuxta 4 Patres (CE 1), fas sit ut, excepto munere Officialis, aliis muneribus in tribunalibus etiam laicis fungi permittatur.

AD NUM. VI:

De tutela iurium personarum

Placet 150, Non placet, nullum, Placet i. m. 37.

Modi:

— Proclamentur et tueantur omnia iura fundamentalia personarum et fidelium. PP. 8 (CE 4). Etiam in ordine naturali, P. 1.

— Determinentur iura et officia quae secum fert sacerdotium commune fidelium. P. 1 (CE 1).

- Positio laicorum et catechumenorum melius definiatur.
PP. 2 (CE 2).
- Iura statuantur et officia provideantur. P. 1.
- Tutela iurium extendatur ad communitates, ad informationem, ad investigationem. P. 1. (CE 1).
- Pro statu iuridico omnibus baptizatis communi ratio habeantur decreti De Oecumenismo, et decl. De libertate Religiosa. Christiano non catholico non necesse est imponere statum identicum ac catholicis. P. 1 (CE 1).
- Legislatio attendat ad scientiam psychologicam aliasque.
PP. 2 (CE 1).
- Cauta procedendum, ne iurisdictio Episcopi impediatur.
P. 1.
- Potestas completa Supremi Pontificis et Episcopi dioecesani ne nimis attenuet iura aliorum Ordinariorum, praesertim religiosorum quae haberi possunt per principium subsidiarietas. PP. 9.
- Statutum iuridicum omnibus Christifidelibus commune contineat normas vitae per consilia evangelica consecratae contrarias. PP. 8.
- Status et conditio personarum non est definienda quin prius ipsis personis diiudicanda proponantur. PP. 8.
- Nulla fiat discriminatio inter viros et mulieres. PP. 2 (CE 1).
- Eliminetur praeiudicium de filiis illegitimis.
- Positio et missio laicorum melius definiatur iuxta mentem Vat. II.
- Positio catechumenorum clarius definiatur. P. 1. (CE 1).
- Omnis forma accusationis secretae tollatur. P. 1. (CE 1).

AD NUM. VII:

De ordinanda procedura ad tuenda iura subiectiva

Placet 148, Non placet, nullum, Placet i. m. 39.

Modi:

- Recursus non sufficit pro tutela. Statuatur insuper vigilancia ad praeveniendos abusus potestatis. P. 1 (CE 1).

- Procedura sit simplicior et brevior, praesertim in causis matrimonialibus. PP. 12 (CE 7).
- Potestates legislativa, administrativa et iudicaria separantur. P. 1.
- Triplex gradus processus administrativi aliaque elementa procedurae indicentur. PP. 3 (CE 1).
- Tribunalia regionalia commendentur. PP. 3 (CE 1).
- Proponitur textus circa institutionem tribunalium pro causis matrimonialibus. P. 1 (CE 1).
- (Paragr. 4). Loco « organa constituere » dicatur: « organa determinare »; ne innecessario creentur nova organa. PP. 6 (CE 4).
- Attendatur ad progressus iuris civilis. PP. 3 (CE 1).
- Circa documenta quae ad sententiam spectant proponitur textus addendus in ultima paragragho numeri VII. PP. 6 (CE 1).
- Processus summarius (de quo in can. 1990) ad alios quoque casus extendatur. P. 1. (CE 1).
- Termini ponendi intra quos causae diiudicandae. P. 1 (CE 1).
- Tribunalia administrativa iura tueantur non minus quam tribunalia indolis iudicialis. P. 1 (CE 1).
- Recursus proponantur contra normas dioecesanas ad tribunal administrativum regionale: in institutis perfectionis recursus sit a Provincialibus ad Supremum Moderatorem eiusque tribunal administrativum. PP. 8.
- Nullus detur in genere processus qui non sit publicus. PP. 8.
- Recursus contra actus viae administrativae possibles sint et quidem via iudicaria. PP. 9.
- Si datur facultas impugnandi Ordinariorum decreta, exercitium eius ita ordinetur ut auctoritas Ordinarii sit salva nec damnum patiatur eorum officium expedite agendi pro bono communitatis ipsis concreditae. P. 7.

AD NUM. VIII:

De ordinatione territoriali in Ecclesia

Placet 162, Non placet 1, Placet i. m. 24.

Modi:

— Ipsa auctoritas territorialis vel regionalis ius habeat constitutendi unitates iurisdictionales ad peculiarem curam pastoralem destinatas, easque dissolvendi si suis finibus non iam respondeant. PP. 11 (CE 1).

— Unitates iurisdictionales non territoriales possint extendi etiam ultra ambitum unius nationis vel regionis secundum Concilium Vaticanum II. P. 1 (CE 1).

— Iurisdictio pro foro interno non sit iam territorialis, sed muneri sacro connexa. PP. 9.

(N.B. Inter hos 9 PP. unus dicit: pro foro interno *sacramentali*).

— Tollatur duplex Ecclesiarum divisio: una in provincias ecclesiasticas, alia in conferentias episcopales. PP. 7.

— Maior flexibilitas optatur in favorem iurisdictionum personalium. PP. 2 (CE).

— Vitandae sunt unitates iurisdictionales secundum nationalitatem ne ansa praebeatur separatismo nationalistico vel munus pastorale episcopi quasi impossibile reddatur. Ergo omitatur verbum « natio ». PP. 2 (CE 2).

— Sermo sit de « organicitate pastorali », non de « ordinatione territoriali ». PP. 2 (CE 1).

— Loco verbi « Codice » substituatur verbum « iure ». PP. 1 (CE 1).

— Ne sit ulla unificatio iurisdictionalis in Oriente. P. 1.

— Inseratur in Codice praescriptum Decreti « Christus Dominus » n. 23/3: « Ubi sint fideles diversi ritus ... Quodsi haec omnia, ob rationes peculiares iudicio Apostolicae Sedis, fieri non possit, Hierarchia propria pro diversitate Rituum constituantur ». PP. 3.

— Plene agnoscatur libertas mutandi ritum. P. 1.

AD NUM. IX:

De recognoscendo iure poenali

Placet 148, Non placet, nullum, Placet i. m. 39.

Modi:

- Ius poenale amplius rationem habeat psychologiae hodiernae. PP. 2 (CE 2).
- Poenae reducantur, sed ne aboleantur. PP. 10.
- Poenae omnes ad minimum reducantur. PP. 9 (CE 6).
- Poenae latae sententiae conserventur pro gravioribus delictis. P. 1 (CE 1).
- Poenae latae sententiae conserventur pro gravioribus casibus fori interni. PP. 8 (CE 5).
- Poenae latae sententiae paucae et quidem solius suspensionis pro sacerdotibus retineantur in casibus sequentibus: sigilli confessionis violatio, sacrarum specierum abiectio et absolutio complicis. P. 8.
- Poenae ferendae sententiae sint in foro externo, modo quidem iudiciali. PP. 8.
- Poenae vindicativae sint rarissimae. PP. 2 (CE).
- Aboleantur gradus reservationis. P. 1 (CE 1).
- Separetur absolutio peccati ab absolutione poenae. P. 1 (CE 1).

AD NUM. X:

De nova dispositione systematica Codicis Iuris Canonici

Placet 134, Non placet 1, Placet i. m. 52.

Modi:

- Ordo systematicus cum maioribus quaestionibus essentialibus iuris a commissione speciali quam primum stabiliendus videtur. PP. 9.
- Codex novus disponatur iuxta triplex munus Ecclesiae, nempe docendi, sanctificandi et pascendi. PP. 14 (CE 7).

- Initium Codicis sumatur ex consideratione Populi Dei.
P. 1 (CE 1).
- Amplior locus tribuatur iuribus et obligationibus laicorum. PP. 4 (CE 1).
- Distinctio fiat inter baptizatos fideles et baptizatos qui manifeste fidem recusant. PP. 5 (CE 1).

De Codice Fundamentali

Modi:

- Habeatur unicus Codex fundamentalis pro tota Ecclesia, tum occidentali tum orientali; Directoria vel Codices particulares iuxta necessitates singularum ecclesiarum. PP. 3 (CE 2).
- Codex tripartitus sit in hunc modum: 1. Ius constitutionale seu fundamentale pro universa Ecclesia; 2. Ius Ecclesiae Latinae ; 3. Ius commune Ecclesiarum Orientalium. Ius proprium singularum Ecclesiarum Orientalium determinetur in Synodo patriarchali, Patr. 1, Metrop. Maior 1. PP. 2.
- Codex Ecclesiae Catholicae sit tripartitus hoc alio modo:
1. Ius constitutionale; 2. Ius generale pro tota Ecclesia; 3. a) Ius particulare pro Ecclesia Occidentali; b) Ius particulare commune pro omnibus Ecclesiis Orientalibus. Ius proprium pro singulis Ecclesiis Orientalibus fiat apud Synodum Patriarchalem, Patr. 1, Metrop. 2. PP. 3.
- Codex tripartitus: 1. Constitutio fundamentalis; 2. Ius seu leges communes pro tota Ecclesia; 3. Ius seu leges particulares pro variis ritibus, institutionibus et, si oportet, diversis nationibus. PP. 6 (CE 1).
- Codex constitutionalis distinguatur a Codice communi.
P. 1.
- Codex duplex: 1. pro Ecclesia stabilita (Europa et America); 2. pro Ecclesia nova (Africa et Asia). P. 1 (CE 1).
- Non placet unus Codex pro occidentalibus, sed, si talis Codex necessarius sit, distribuatur sicut proponitur supra Codex Ecclesiae Catholicae, Patr. 1.

SUGGESTIONES

- Instituatur Commissio Internationalis ad profundius examinandum varia Principia proposita (*Darmajuwana, Geise: Conf. Indonesiae*).
- Suspendatur labor actualis Pontificae Commissionis donec Principia recognitionis Codicis redigantur iuxta ecclesiologiam Concilii Vaticani II (*Benítez: Conf. Paraguay*).
- Novus Codex redigatur actione collegiali, participatione Conferentiarum Episcoporum tum in Commissionibus localibus instituendis tum in Commissionibus centralibus Romae congregandis, et cooperatione adhibita totius Populi Dei tum quoad genus personarum (presbyteri, religiosi, religiosae, laici) tum quoad competentiam (canonistae, theologi, scripturistae, sociologi, etc.) (*Isnard, Lorscheider*).
- Ius commune recognoscatur collaborantibus peritis et occidentalibus et orientalibus (*Senyshyn*).
- Novus Codex sit maxime brevis et omnibus intelligibilis (*Isnard, Lorscheider*).
- Novus Codex quam celeriter fiat (*Quintero Arce, Gantin*).
- Introducantur quae in Synodo commemorata sunt de iure matrimoniali, de iure Religiosorum (*Isnard, Lorscheider*), Muñoz Vega: duo principia proponit circa ius Religiosorum; E. Mason: inserantur quae respiciunt Missionarios.
- Novus Codex includat normas pro reductione clericorum ad statum laicalem, cum processu in ambitu Conferentiae Episcoporum (*Isnard*).
- Summarium principiorum codificationis sive Constitutio fundamentalis fiat prius quam codificatio perficiatur (*McGrath, Ntuyahaga*).

— Schemata novi Codicis subiiciantur laicis peritis (*Döpfner, Suenens*).

— Pontificia Commissio coalescat etiam theologis, sociologis, pastoribus, religiosis, peritis civilibus et rerum socialium (*McGrath, Benitez, Van den Bergh*; etiam ut Lex consensu populi excipiatur).

— Redactio Constitutionis Ecclesiae committatur novae Commissioni speciali (*Senyshyn*).

— Textus a Pont. Commissione parati pro novo Codice ad Conferentias Episcopales mittantur ante promulgationem (*Marty, Puech, Quintero Arce, Olçomendy, Levèsque, Cordeire, Urbani, Nicodemo, Carraro, Traglia, Carpino, Siri, Lercaro, Colombo*).

— Consulantur quidam laici et religiosi atque religiosae (*Puech, Marty*).

— Consulantur periti ex omni regione, ne Codex sit nimis europaeus (*Primatesta*).

— In ipsa lege procedura ulterioris recognitionis praevideatur (*Van den Bergh*).

— Labor redigendi novum ius committatur commissioni compositae vere peritis in iure, theologia, sociologia, praeditis experientia pastorali, ex variis regionibus mundi selectis (*Caranza Chévez*).

— In codice convenientior terminologia inveniatur pro exprimenda distinctione inter Ecclesiam « Occidentalem » et « Orientalem » (*Kozlowiecki*).

— Novus Codex prooemium sat amplum habeat ubi locus et limites legis ecclesiasticae relate ad totam vitam et missionem Ecclesiae clare determinentur (*Levèsque*).

— Ordo Principiorum mutandus est, sicut in n. 7 interventionis postulantis indicatur; praecipue principium III sit primum (*Piñera*).

— In Codice referatur nova ratio institutionis sacerdotalis (*Quintero Arce*).

— Urgeatur necessitas utendi modernis mediis communicationis in cura pastorali, in defensione fidei, in educatione fidelium; sicut O'Connor postulavit (*M. Browne*).

— In Codice normae Iuris publici Ecclesiae statuantur, ut relationes cum Statibus rite poni queant (*Dalmais, Ramanantoanina*).

— Consulantur, pro elaborando Codice, Conferentiae Episcoporum, qui ipsi consulent omnes fideles (*Lefebvre, Suenens, Sherer*).

— Litt. Apostolicae « De Episcoporum muneribus » et « Ecclesiae Sanctae » revideantur ut genuinus spiritus decreti « Christus Dominus », n. 8 exsecutioni mandetur (*Beras, Branda-Vilela, Rossi, Lorscheider, Grovas, Isnard, Sherer, Döpfner, Bengsch, Jaeger, Maurer, Lommel*).

Modus super integrum:

— Proponitur novum Principium (num. XI): « De sollicitudine oecumenica ». In elaborando Codice habeatur dialogus cum Ecclesiis seiunctis (Textus, apud *Döpfner*).

— Proponitur Principium num. XII: « De laicorum iuribus et officiis in novo Codice » (*Döpfner*).

— Proponitur nova dispositio Principiorum hoc ordine: I, III, XII, XI, X, IV, VIII, II, VI, VII, IX, X.

Romae, die 21 octobris 1967.

✠ GEORGIUS DWYER, Archiep. Birminghamien.
✠ SIMON LOURDUSAMY, Archiep. tit. Philippi
✠ JOSEPH GUERRA CAMPOS, Episc. tit. Muzia

P. Raymundus Bidagor, S. I.
Secretarius Specialis Synodi

